



Universitätsbibliothek Paderborn

**Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator
communiter resurget ad justitiam.**

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 2. Dum Paenitentiae gratia debitè consideratur, satis patet quod non omnibus detur ad sensum Authoris Appendicis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

P E C C A T O R I S.

7

tur & pænitent, istis Ecclesiæ precibus à Deo obtineri. Cœterū ducentis plus minus annis Cælestinum præcesserat Romanus Clerus, qui simili sollicitudine pænitentiæ ac conversionis donum lapsis peccatoribus judicabat esse petendum.

Etenim prescribens S. Cypriano: *Oremus*, ajunt, *pro lapsis ut erigantur*; *oremus pro stan-*
*Epist. 31.
inter Epist.
Cypriani.*
tibus, ut non ad ruinas usque tententur; *oremus*
ut qui cecidisse referuntur, delicti sui magnitu-
dinem agnoscentes, intelligant non momentaneam
neque præproperam desiderare medicinam; *ore-*
mus ut effectus indulgentiæ lapsorum subsequatur
& pænitentiam. Istam pænitentiæ gratiam
quani sic sollicitè peccatoribus volebant
peti, similiter non credebant illis om-
nibus ultro offerri ut illi dumtaxat esset
consentendum: alioquin jam non ut detur
adhuc foret orandum, sed illi dumtaxat
ut ultro oblatæ consentirent, monendi.

§. II.

Dum Pænitentiæ gratia debitè consideratur, sa-
 tis patet quod non omnibus detur ad sensum
Authoris Appendix.

DEnique hæc res difficultatem non patitur, dum pænitentiæ gratiam, sicut intelligenda est, intelligimus. Hæc

A 4

enim

S C O N V E R S I O

enim non sic duntaxat peccatoribus offertur , ut illâ pænitentes sint qui velint , sed etiam per ipsam fit ut velint. Ipsam enim pænitentiam quæ non est pænitendi potestas sed voluntas , nec nisi in illis est qui pænitent , à Deo dandam exspectabat Apostolus cum dixit : *Nequando Deus det illis pænitentiam.* Hanc accepit Petrus cum respectus à Domino illicò egredens est foras , & flevit amare : Illud enim quod scriptum est : *Respexit eum Dominus :* uti notat D. Augustinus , *intus actum est , in*

Lib. 1. de mente actum est , in voluntate actum est. Misericordia Christi Dominus latenter subvenit , cor tetigit , memoriam revocavit , interiore gratiâ suâ visitavit Petrum , interioris hominis usque ad exteriore lachrymas movit , & produxit affectum. Ille est misericordiæ respectus , quæ , uti ait magnus Gregorius , insensibilitatis nostræ duritiam , cum respicit , emollit. Ac per hoc non fit ad illos qui adhuc duri permanent , hoc est , incorrecti. Sic ex Ecclesiæ instituto , & nos respici petimus , cum dicimus :

Ad Matut.

in hym. lon.

*Jesu labantes respice ,
Et nos videndo corrige ;
Si respicias labes cadunt ,
Fletuque culpa solvitur.*

Ilo enim respectu corrigit nos , hoc est ineffa-

P E C C A T O R I S. 9

ineffabili gratiæ suæ operatione mutat
cor nostrum ab eo quod priùs pravè dili-
gebat, in id quod diligere debet; quod se
facturum promisit cum dixit: *Auferam cor* Ezech. 36:
lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor car- vers. 26.
neum, & spiritum meum ponam in medio vestri:
& faciam ut in præceptis meis ambuletis, & ju-
dicia mea custodiatis & operemini,

§. III.

*Deus iis quibus auferat cor lapideum, & donat
carneum, impertit gratiam Contritionis.*

Auferens nobis Deus cor lapideum &
tribuens cor carneum, hoc est inter-
prete Augustino, cor obediens, divinis jus- Lib. de græ.
sis cedens & obtemperans, convertit nos, & lib. arb.
cap. 16.
impertitque conversionis gratiam, quam
dicit Manuductio non omnibus esse com-
munem, ac precibus piisque laboribus à
Deo requirendam: non enim eam habent
quibus adhuc cor est induratum, imo ex-
igentibus prioribus culpis, Dei judicio
induratur. Valde enim sibi contraria
sunt, auferre cuipiam cor lapideum, hoc
est, ut idem Augustinus, cor durum, &
cor ejus indurare: *Induravit autem Domi-* Ibid.
nus cor Pharaonis; induravit & cor Ju- Exod. 10.
daorum, qui Christo non crediderunt. v. 20. *Ioan. 12.*
v. 40.

Et